

# HISPALIS.

The image shows a large, ornate initial letter 'H' from a historical printed book. The letter is intricately decorated with a dense pattern of swirling vines and leaves. In the center of the top section of the 'H', there is a smaller rectangular frame containing a stylized floral or foliate motif. The entire letter is rendered in a dark, woodcut-like style.

ISPALIS, famatissima Hispaniae in Bætica Prouincia vrbs, mari Gaditano Bætiique flumini iuncta, totius propemodum Hispaniae Emporium & Indicarum occidentalium mercium receptaculum celeberrimum, quod nouum orbem classibus patefecit. De cuius appellatione & ortu eruditorum hominum turba, non eandem sententiam tenet. Isidorus lib. Originum 15. ca. i. Hispalim à situ cognominatam ait, eò quod in loco palustri suffixis profundo palis, locata sit, ne lubrico atq; instabili fundamento caderet. Idem Iohannes Gerundensis lib. i. Paralipomenum Hispaniarum scribit. Benedictus Arias Montanus Hispalensis ad Clarissimum virum Abrahamum Ortelium Anuerpianum, Cosmographum Regiu, ita de patriæ suę nominatione scribit. Hispalis, nomen Phoenicum est, ex spila vel spala deflexum, quod planitatem siue virentem Regionem significat, quasi eius territorium conspicitur. A Græcis verò addita est aspiratio: Arabes autem, quod P. literam non habent, ob idque pronunciare nequeunt, ferè ad nativam vocem referentes Sbilla dixerunt, deinde Christianorum vulgus Seuilla, vt nunc, appellavit. Silius Italicus Hispal: Philostratus Ispolū, Ptolomæus Ispalim, Decreta Spalim-Episcopus Gerundensis scribit eam à Strabone Iuliam Romuliam nominari, Quod etiam Isidorus in suis Originum libris refert. Qui Hispalim inquit Cæsar Iulius condidit, quam ex suo nomine & Romæ vrbis vocabulo Iuliam Romulam hincupauit. Apud Plinium legitur, Hispalim Coloniam Romulensem cognominari. Vnde puratur Iulij denominationem, vulgari idiomate, in hodiernum vsq; diem retinere, vt ab ipso Iulio Cæsare Ciuitalia, id est Ciuitas Iulia, appelletur. Sed Iulium Cæsarem Hispalim construxisse, cum Historiarum veritate non conuenit, quum apud Titum Liuum, Commentariaq; præfati C. Iulii Cæsaris, ac Lucium, plurimosq; antiquiores scriptores, fiat eius mentio: potuit tamen Iulius Cæsar illam instaurasse labentem, auxisse ac dilatasse. Franciscus Tarapha lib. de Hispaniæ Regibus, hęc de Hispalo commemorat. Hispalus filius fuit Herculis Libyci, qui à patre Rex creatus Hispanias accepit, teste Berofo, anno 36. Balci Regis Assyriorum, id est, ante humanę salutis aduentum, vt in Eusebio computatur, M. D. CCXXVII. Hic Hispalim ciuitatem, quę nunc Sibilia, vulgo Seuilla dicitur, condidit, & tota Hispania quasi Hispalia, ab eius colonijs dicta, vt assentitur Rodericus Toletanus Antistes, insignis historicus. Est Hispalis ciuitas ad mare Gaditanum, vbi sunt aestuaria, id est, cōualles replet, ac marinis aquis, inundationibusq; Pelagi: per quas instar fluviorum nauigantes ascendunt ad vicina oppida. Regnauitque Hispalus, teste Berofo, annis xvii. Hispalim porrò Marineus Siculus, libr. de Reb. Hispanicis xix. ita paucis describit, Hispalis & Corduba sunt Bæticæ Prouinciae Ciuitates in ripa Bætis fluminis expositæ. quarum Hispalis aliquanto maioris est incolatus, Haric ab Hispano Herculis nepote conditam fuisse, vulgus asserit. Cuius ego sententiæ nec accedo, nec refragor. Incertū est enim, quod nec authore nec ratione probatur. Verū enim uerò cuiuscumque sit opus, vrbis est maxima & opulentissima, meoq; iudicio multis Hispaniæ ciuitatibus, ne dicani omnibus, anteponera. Est enim ambitu magna, forma rotunda, visu pulchra, templis celebris, sacerdotibus exculta, & multis equitibus nobilis, ciuib. plena, dōmibus insignis, plateis & vicis hilaris, hortis & fontibus amoenā, tuta propugnaculis, m̄cenibus cincta, defensa portis & turribus, campis iucunda, agrorū frugibus abundans, oliuetis & magnis oliuis & oleo felix, mercatorum commercijs diues, artibus adornata mechanicis, & liberalibus studijs illustris, plena multis piscium generibus & magnis ostreis, palmetis & palmulis & arborum fructibus exuberans, ostio maris & nauigabili flumine ligneoque ponte, quem parua nauigia catenis cōpactum sustinent, admōdum delectabilis. Bætis enim amnis nobilissimus Hispalim non sine commoditate singulari exornat, Quod quidecum in eo semper declarat tanta nauigiorum multitudo, quanta vix in vlo Māris portu hic apud Hispalim inuenitur, vnde amplissimorum cōmerciorum & multarum diuinarum occasio. Cuius etiam aqua, ad inficiendas lanas plurimum valet, Quām Mārtialis hoc modo commendauit.

Bætis olifera erinem redimite corona;

Aurea qui nitidis vellera tingit aquis.

A quo etiam, ut Strabo & Plinius asserunt, Bætica Prouincia nomen accepit, Et Seneca quoque refert:

Nomenque terris, qui dedit BOETIS suis:

Ex hac igitur situs, commerciorum, portus, maris ac fluminis oportuna commoditate, vero & sincero omnium  
judicio est natum vulgi adagium,

Hominibus, quos Deus amat, Hispalidomum largitur & victum.

In ea siquidem, multò meliùs viuitur & abundantiùs quām iñ alia, quantumlibet vrbe ditissima totius orbis. De cuius templo maximo, & nauigiorū numero L. Marineus Sictulus alio loco preclara scripsit, & nos hoc vrbiuum Tomo magnificam eius Ecclesię Turrim peculiari laminā accuratè delineatam separatim exhibemus.

De Hispalensis Ecclesiæ magnificentia, hæc Franciscus Paciecius. Huius Ecclesiæ maiestatem dignitatemq; & opulentiam, breui compendio dicere non possumus, hoc fuerit satis, quantum ex collegasticis rationibus colligimus, ipsi Antistiti centum & amplius atreorum millia annui redditus cedunt. Primarij templi sarta tecta 30 & amplius millia: Senatus verò Ecclesiæ 120000 fert, quæ in Canonicos 40, & 11. prærogatiæ dignitatis sacerdotia, itidem in viginti portionarios, quos vocant, totidemque semiportionarios sodales distribuuntur, ea lege, ut Canonici & dignitates ex diurno canone ad bina millia atreorum quotannis accipiant, portionarijs quadrante minus, semis portionarijs triens ex dimenso reddatur. Horum post præsulem summa auctoritas post Decanum est, cuius dignitas 5000 aureorum censemur. Sunt præterea in ea Ecclesia sacrifici 20, quos à numero, Vicenarios vocamus, qui nocturnis diurnisq; psalmodijs assidui, ducentos & amplius aureos merentur: & ducenti alij sacerdotes, qui expriuatim facellis satis commoda ferunt stipendia. beneficia ad hæc per oem Diœcesim opima sexcenta ferè, quorum multa singulis, & binis etiam aureorum millibus censemur: minorū verò sacerdotiorum, quas Capellanias vocant, duō millia fermè numerantur. Sint etiam in hac Diœcesi innumera Monachorum & sacrarum Virginum monasteria, in quibus multum religio viget, & in illis etiā sacrarum literarum studium, cum magno Reipub. commôdo viget, multa ex his sena aureorum millia annui redditus fuerunt. Certè, vnum Carthusianum, quod ad Bætim in ipso Hispalis prospectu magnificentissime exstructum est, supra 25000. refert. Longè sit etiam hospitales pauperum domos recēdere, cùm in una Hispalit tantum, ultra centum viginti numerentur egregiè dotatæ, vt multæ 8000 aurorum, nonnullæ 15000. annuis locupletatae sint.

**Atque**